



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput III. Gregorius Stephano (a) Chartulario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](#)

CAPUT III.

Gregorius Stephano (a) Chartulario.

Scientes magnitudinem charitatis vestræ toto Dominum corde diligere, ob hoc ea, quæ in (b) massis de jure quandam Patricii viri piæ recordationis contra præcepta Dominica, contraque Canonum regulam commissia esse didicimus, ad ejus necessitate duximus referre notitiam: quatenus hæc, quæ perpetrata sunt, corrigi debeant, & alii deinceps tentare non præsumant. Insinuatum igitur nobis est, in massa, quæ nuncupatur Marato, de Abbatे monasterii sancti (c) Georgii, quod in eadem sicut est, duos Monachos refugisse, & unum quidem ex eis jam conjugem acceperisse, alium autem laicum effectum sacerdotaliter vivere; cùm nec ex familia massa homines ipsi esse liberi afferantur: & vel si secundum conditionem debuissent agere, contra DEUM erat, ut post adeptum divini officii cultum, & sacerdotalem vitam, atque habitum remearent. Unde hortor, ut habita judicis æterni consideratione, Monachos ipsos retrudi sine dilatione faciatis, ne eorum exemplo, cùm vestro, quod abit, peccato, cæterorum monasteriorum districtio dissipetur: sed magis ut magnitudinis vestræ solatio aliis Monachis spes gerendi talia submoveatur. Afferit autem prædictus Abbas, Presbyterum prædictæ massæ novas monasterio ipsi velle imponere consuetudines, quæ ex tempore conditi monasterii per triennale tempus hactenus non fuerunt: siquidem si quid DEO illic munificentia gratiâ à fidelibus viris (d) oblatum fuerit, portionem sc̄ afferit debere percipere. Quod magnitudo vestra studeat diligenter agnoscere: & si hoc ab initio non fuit, etiam labentibus temporibus aliud noviter imponi non concedat; quia maximè exiguae substantiae, & monasterium pauperum esse didicimus, & Abbatem ipsum hospitalem omnino esse, multorum attestatione didicimus.

NOTÆ.

(a) **C**hartulario.] Valde corrupta est præsens inscriptio, tam in prima, quam in sexta compil. In prima legitur ad Stephanum Castronem; In secunda verò Stephano Cantori: sed eam, & literam textus restituo ex epistolis D. Gregorii lib. 12. indit. 7. epist. 20. Chartularius in utroque jure diversimodè accipitur: in jure Civili numerariis, actuariis, & scrinariis adjungitur in titul. Cod. de numer. actuari. chartul. à charta, vel chartula ita dicti, qui omnes rationes publicas tractabant; ideoque eorum officium in observatione rationum confitebat, l. ii. Cod. de divers. offic. l. 25. Cod. de sacrof. Eccles. De his Cujacius in l. 10. Cod. de numer. Gutherus lib. 2. de offic. dom. cap. 14. Panciro lib. 1. var. cap. 27. & lib. 2. cap. 188. Jurerus ad Symmachum lib. 9. epist. 23. Buleng. lib. 4. de Imper. Rom. cap. 10. Zerda in advers. cap. 17. num. 5. Amaya in l. 3. Cod. de can. largit. notavi in cap. 8. de presump. Eriam officium Chartularii refertur à Leone, & Anthemio in dict. leg. 3. C. de canone, his verbis: Chartularios, qui de cohortalibus officiis uniuscuiusque Provincia largitionales titulos tractare constitutur. Et magni Chartularii mentio fit apud Europalatem, & Chartularii Magistrorum equitum, & peditum in l. 6. Cod. Theod. de divers. offic. notarunt Gretherus

ad Codinum lib. 1. cap. 4. Balfamon in nomecan. tit. 8. cap. 1. Lindembrog, in notis ad Paulum Vanfridum, lib. 2. de gestis Longob. cap. 1. In ecclesiastica Politia Chartularii nomen longè minoris suffit dignitatis, probat D. Rochus Pirro tom. 1. Sicil. sacr. not. 3. num. 11. Illud confitit expediti epistola, & alius ipsius Gregorii, apud Latinos Chartulariorum de causis ecclesiasticis cognovisse, ut jam notavit Baronius anno 591.

(b) **M**assis.] Massæ nomen, & appellatio, ut apud Gallos, & Germanos recepta fuit, ita Massæ vocabulum apud Latinos usitatum. Est autem conglobatio quadam, seu collectio possessionum, ac prædiorum: cuius nominis meminit Caffodorus lib. 8. epist. 33. ubi Rex Athalaricus iubet conductores, ac possellores mansum præficere, ne rusticæ in mercatores, aliosque peregrinos insiliant, qui ad natale S. Cypriani celebrandum Lucanianam confluebant. Et Ecclesiæ Romanæ varias massas habuisse, jam probavimus in cap. 2. de pacis.

(c) **G**eorgii.] Monasterium hoc S. Georgii de Tiracola, seu Troculis, est in Sicilia, à Rogerio Comite amplè ditatum, cuius fundationem & privilegia refert D. Rochus Pirro tom. 3. Sicil. sacr. fol. 61.

(d) **O**blatum fuerit.] Juxta adducta in c. 1. de statu Monach. & Commentarium hujus textus datum bis in cap. prohibemus.

CAPUT